DE ATTRACTIONIS USU ET PROGRESSU, QUALIS FUERIT IN ENUNTIATIONIBUS RELATIVIS APUD HERODOTUM, ANTIPHONTEM, THUCYDIDEM, ANDOCIDEM, LYSIAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI. M. JANUARII A. MDCCCLXXXII, HORA XII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

CARL BOHLMANN

HANNOVERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

JULIUS JUNG, CAND. PHIL. PAUL PROHASEL, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

MARTINO HERTZ

SACRUM.

Cum de attractionis usu et progressu, qualis apud poetas Graecos fuerit, egregium et disertum librum a R. Foerstero [1]) conscriptum habeamus, de pedestris orationis scriptoribus, apud quos hic usus multo frequentior et latior est, eiusmodi libellus adhuc deest. Quam immensae amplitudinis materiam quamquam ego hoc opusculo non absoluturus sum, tamen apud vetustiores quosdam scriptores inde ab Herodoto usque ad Lysiam oratorem usum et continuum attractionis progressum, qualis in enuntiatis relativis cernitur, ostendam. Atque hac in re Herodotum non praetermittendum esse duxi, quamquam ionica usus est dialecto, cum inter prosaicos vetustissimus eius, in quam nos inquirimus, attractionis testis ad demonstrandam increbrescentis attractionis viam maximi momenti sit. Desunt enim huius dicendi generis exempla et in logographorum et in philosophorum fragmentis, qui ante Herodoti aetatem floruerunt. Sin autem quaerimus, num Herodotus omnino primus attractionem in orationem solutam invexerit, certi quidquam vix de hac re affirmari poterit. Sed copia satis ampla Herodoti exemplorum reputata eorumque natura et indole cum Aeschylo, vetustissimo inter poetas attractionis teste, collata haud iniuria nobis conicere licebit, iam ante Herodotum apud prosaicos obtinuisse hanc dicendi rationem. Neque enim verisimile est, Herodotum, si primus inter pedestris orationis scriptores attrac-

[1]) Quaestiones de attractione enuntiationum relativarum qualis quum in aliis tum in graeca lingua potissimumque apud graecos poetas fuerit, scripsit Richard Förster Berolini 1868.

tionem usurpasset, tam amplam sedem ei iam concessurum fuisse. Immo etiam apud prosaicos similis progressus statuendus erit, qualem apud poetas, in Aeschyli et Sophoclis fabulis, animadvertimus. Apud Aeschylum enim novem tantum exempla attractionis extant, quorum in numero octo formam ὧν neutrius generis exhibent, unum formam ἧς; apud Sophoclem autem plus sexaginta exempla inveniuntur, quorum singula formam ὧνπερ, ὅσων, ἧς, compluria formam οἷς, ᾧπερ praebent. Deinde vero nullo modo probabile est, id genus dicendi, cuius parens et genitor sermo cotidianae vitae erat, apud poetas prius inveterasse quam apud eos, qui pura et incorrupta populari locutione usi sunt. Itaque persuasum mihi est, si plura fragmenta nobis essent servata, fore ut apud Hecataeum, Pherecydem, Charontem, Hellanicum aliosque aetate Herodoto superiores vestigia attractionis nobis occurrerent.

Sed antequam ad Herodotum ipsum transeam, haec mihi de ratione et dispositione libelli praefanda videntur. Primo loco vera attractionis exempla exponam, deinde eos locos tractabo, quibus attractio a scriptoribus aut iure omissa aut iniuria neglecta est huiusque rei causas et leges ostendam, tertio denique loco in universum de attractionis usu apud singulos scriptores disputabo et alterum cum altero comparabo.

Duo genera enuntiatorum rel. attr. cum Foerstero discernemus, alterum adiectivum, alterum substantivum, prout enuntiatio rel. attr. aut attributi loco additur substantivo aut non ad substantivum refertur, sed per se constans a vocabulo enuntiati primarii regitur. Hoc ordine exempla proferam ita, ut a genitivo per attractionem ex accusativo orto exordiar, deinde ad dativum transeam, denique adiciam exempla, quibus nominativus casum genuinum mutavit.

Caput I.

Una imprimis enuntiatio rel. est, quae eorum, qui de attractionis usu apud Herodotum quaerunt, oculos in se convertit, dico enuntiatum rel. τῶν ἡμεῖς ἴδμεν vel τῶν ἐγὼ οἶδα. Hac enim in formula Herodotus attractionem adeo adamavit, ut ne uno quidem loco eam praetermitteret. Neque interest, utrum substantivi an adiectivi vicibus enuntiatio rel. fungatur, utrum pronomen τῶν generis masculini an feminini an neutri sit. Quod ad collocationem huius formulae attinet, qua addita scriptor modestiore quodam modo voculam πάντων vel πασέων restringere solet, aut post illam ipsam voculam locum tenet aut si cum ea nomen coniunctum est, illi postponitur vel inter nomen et πάντων inseritur. Atque haec quidem hac de formula, quae tricies et bis [1]) apud Herodotum invenitur. Reliqua [2]) attractionis exempla eaque attributivi generis haec sunt:

III. 80. τούτων τῶν ὁ μούναρχος ποιέει οὐδέν.
III. 82. πάντων τῶν λέγω ἀρίστων ἐόντων.
III. 105. ἀναμιμνησκομένας τῶν ἔλιπον τέκνων.
III. 142. λόγον δώσεις τῶν μετεχείρισας χρημάτων.
IV. 9. τούτων τῶν ἔργων τῶν ἐντέλλομαι.
IV. 114. τούτων μὲν οὐδὲν τῶν ἡμεῖς κατελέξαμεν.
Similia exempla extant VI. 109, VII. 115.
V. 92, 7. τῶν γάρ οἱ συγκατέθαψεν εἱμάτων ὄφελος εἶναι οὐδὲν.

---

1) τῶν ἡμεῖς ἴδμεν.
τῶν neutri generis: I. 178. II. 68 IV. 46. IX. 37.
masculini generis: I. 6. I. 14. I. 23. I. 94 I. 142. III. 60. III. 94. III. 98. III. 122. IV. 42 IV. 48. IV. 184. IV. 188. V. 119. VI. 112. VII. 20. VII. 27. VII. 170. VIII. 105. VIII. 124. IX. 78.
feminini generis: I. 193. II. 157. IV. 58. VI. 21. IX. 64. τῶν ἐγὼ οἶδα. V. 49. VII. 238.

2) Laudo locos ex editione Dietschiana Lipsiae MDCCCLXXIII.

VI. 86, 2. οὐδὲν εἰδέναι τούτων τῶν ὑμεῖς λέγετε.
VI. 87. τῶν πρότερον ἀδικημάτων δοῦναι δίκας, τῶν ἐς Ἀθηναίους ὕβρισαν.
VII. 164. μεγάλων χρημάτων, τῶν οἱ Γέλων ἐπετράπετο.
IX. 58. δώσουσιν ἡμῖν τῶν δὴ ἐποίησαν Πέρσας πάντων δίκας.
IX. 120. ἀντὶ μὲν χρημάτων τῶν ἔλαβον ἐκ τοῦ ἱεροῦ.
I. 29. ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων ἀναγκασθῇ λῦσαι τῶν ἔθετο.
I. 45. ἀνθρώπων εἶναι τῶν αὐτὸς ᾔδεε βαρυσυμφορώτατος.
III. 101. τούτων τῶν Ἰνδῶν τῶν κατέλεξα πάντων.
Simile exemplum invenies VII. 8, 3.
VII. 52. τῶν ἀπεφήναο γνωμέων σφάλλεαι.
VII. 154. τῶν δὲ εἶπον πολίων τούτων ... οὐδεμία.
IV. 78. ἀπὸ παιδεύσιος τῆς ἐπεπαίδευτο.
V. 40. περιεχόμενον σε ὁρέομεν τῆς ἔχεις γυναικός.
V. 40. γυναικός μὲν τῆς ἔχεις.

Enuntiatio rel. vestigia attributi premens, cuius vicaria est, locum ei notioni, ad quam pertinet, proximum obtinet, sive eam subsequitur, quod plerumque fit, sive antecedit; rarius uno vel duobus vocabulis interpositis ab ea direpta est I. 45. V. 40. IV. 114. VI. 87. I, 29. Deinde enuntiatum relativum perbreve et concisum est, quippe quod in dimidia locorum parte duobus vocabulis pronomine et verbo finito constet; rarius subiectum pronomine vel nomine comprehensum aut alius casus pronominis personalis additur; hic illic enuntiatum rel. additamentis, quae locum vel tempus vel aliud quiddam significant, auctum apparet, sed nunquam modum quinque vocabulorum egreditur; immo unus est locus, quo enuntiatio rel. tantum incrementum ceperit IX. 120. Pronomen rel. saepius numeri pluralis quam singularis, saepius generis neutrius quam masculini vel feminini est. Cuius rei causa facilis est intellectu. Neutrum genus minus aptum erat quam masculinum vel femininum ad repellendam vim, quam ei notio regens illatura erat, si quidem illi rei magis notio, his personae magis inhaeret. Persona vero facilius quam res se tutatur. Accusativus pronominis rel., ex quo per assimilationem genitivus ortus est, omnibus, si unum exceperis, locis obiectum, quod dicimus directum, uno illo loco IV. 78 immanens significat.

Immanentem enim accusativum eum dicimus, qui ex Graecae linguae usu ad verbum eiusdem radicis vel eiusdem significationis adponitur velut νίκην νικᾶν. De attractionis usu in eiusmodi figuris ethymologicis Kuehnerus in errore versatur, qui pag. 914 gr. gr. ed. II: adnotat, scriptores antiquioris aetatis in eis attractionem omittere solitos esse. Quam sententiam non recte se habere postea, si ad Thucydidem et Lysiam pervenerimus, apud quos haud raro eiusmodi attractio invenitur, videbimus. Substantivi generis exempla Herodotus haec praebet:

II. 118. δίκας ὑπέχειν τῶν Πρωτεὺς ὁ Αἰγύπτιος βασιλεὺς ἔχει.

V. 106. δώσοντας ἐμοὶ δίκην τῶν ἐποίησαν.

Similia exempla extant VII. 5. IX. 93. 94. VIII. 100.

II. 14. ἐργαζόμενοι οὐδὲν τῶν ὤλλοι ἄνθρωποι περὶ λήιον πονέουσι.

IX. 98. οὐδὲν συνήσουσι Πέρσαι τῶν ἐγὼ ὑμῖν ἐντέλλομαι.

IX. 116. οὐδὲν ὑποτοπηθέντα τῶν ἐκεῖνος ἐφρόνεε.

VIII. 73. αἱ λοιπαὶ πόλιες πάρεξ τῶν κατέλεξα.

VII. 8. χώρην τε τῆς νῦν ἐκτήμεθα οὐκ ἐλάσσονα.

Nomen, a quo enuntiatum rel. pendet, semper est δίκη, semel λόγος VIII. 100, pronomen οὐδὲν; duo restant exempla quorum in altero praepositio πάρεξ, in altero comparativus, ἐλάσσονα enuntiationem rel. regit. Quae de collocatione et ambitu enuntiati rel. et quae de numero genereque pronominis rel. in antecedentibus exemplis disputavi, in haec quoque cadunt, praeterquam quod II. 118. et II. 14. enuntiatio rel. paulo amplior sex vocabulis constat.

Multo inferiores numero sunt loci, quibus accusativus pronominis rel: dativi vi attrahitur; tria eiusmodi exempla in libris Herodoteis extant:

III. 134. ὁμοῦ τούτῳ τῷ σὺ λέγεις.

VII. 3. λέγειν πρὸς τοῖσι ἔλεγε ἔπεσι.

I. 106. βασιλεύσας τεσσαράκοντα ἔτεα σὺν τοῖσι Σκύθαι ἦρξαν, quorum duo superiora attributivo, tertium substantivo generi assignandum est. In altero exemplo VII. 3 collocationem enuntiati rel. animadvertas, quippe quod inter praepositionem et nomen interpositum sit. Quod ea de causa moneo, quo magis attributiva enuntiati rel. indoles eluceat. Nam locum

illum inter praepositionem et nomen non nisi adiectivum ad nomen referendum aut eius vicarius genitivus obtinere solet. Exemplum I. 106 memoratu dignum videtur, quod accusativum, quamquam temporis spatium significat, nihilominus attractione correptum videmus, cum eiusmodi accusativi, ne notio temporis obscuretur, apud omnes auctores attractioni non admodum obnoxii sint.

Unum alius generis ac quae hucusque tractavimus exemplum restat, qualia apud Herodotum nusquam alias[1]), apud ceteros scriptores perpauca inveniuntur, eiusmodi dico exemplum, ut nominativus pronominis rel. per attractionem in alio casu ponatur. Locus extat I. 78 οὐδέν κω εἰδότες τῶν ἦν περὶ Σάρδις τε καὶ αὐτὸν Κροῖσον et primus est testis huius attractionis, quae a poetarum consuetudine atque usu plane abhorret, apud prosaicos cuiusvis aetatis artissimis finibus circumclusa est. Itaque sunt, qui locum intercepta vocula ἦν coniectura tentaverint. Hand recte iudico. Nam huius attractionis exempla cum apud posteriores scriptores extant, tum unum ex Herodotea fere aetate repetam. Illa sane ad hanc quaestionem discernendam non magni momenti sunt, quia facile quispiam dixerit, hanc attractionem non tam ab omnium scriptorum usu quam ab Herodoti abhorrere, quippe qui attractionem nondum ad nominativum pronominis relativi propagasse censendus sit. Atque ad hanc sententiam comprobandam enuntiationes rel., quarum verbum finitum coniunctivo cum ἂν comprehensum est, attulerit, a quibus Herodoteus attractionis usus alienus est, non item Thucydideus. Itaque exemplum circumspicere debemus, quod quam minimo temporis intervallo ab Herodoti libris compositis distet. Circumspicientibus Antiphon duo exempla praebet, alterum in orat: VI. 4 alterum II. δ, 2 quorum illud praetermitto, quia oratio VI. circa annum 414 demum orta videtur, alterum huc revoco. Nam tetralogias tempore reliquis Antiphonteis orationibus longe antecedere, habitu dictionis, quae

---

[1]) Quod editores quidam laudarunt locos I. 92 τὴν δὲ οὐσίην . . . ἀνέθηκε ἐσ τὰ εἴρηται et II. 8 ταύτῃ . . . ἀνακάμπτει ἐς τὰ εἴρηται τὸ οὖρος, equidem probare non possum. Neque enim attractio, sed ellipsis pronominis demonstrativi talibus locis nobis statuenda erit.

in his oratiunculis antiquiorem et a ceteris diversum colorem prae se fert, certissime confirmari potest. Itaque ex hoc Antiphonteo loco Herodoteus fulcrum accipit.

Quibus vero legibus hoc attractionis genus adstrictum sit, R. Foerster p. 9 exposuit, qui pronomen rel. generis neutrius et numeri pluralis, verbum autem intransitivum vel passivum oportere esse recte contendit. Quae cum omnia in locum l. cadant, non est, cur a codicum auctoritate recedamus et illum locum attractioni abiudicandum esse putemus.

Restat, ut de verbis finitis, quae in enuntiatis rel. inveniuntur, pauca addam. Ac primo statim obtutu apparet, alia saepius inveniri ποιεῖν, λέγειν, ἐντέλλεσθαι, ἔχειν, alia rarius: μεταχειρίζειν ἔκτημαι. In universum omnia illa verba in hunc orbem redigi possunt: habendi, sciendi, dicendi, faciendi.

Atque haec quidem de admissae attractionis exemplis; maior fere omissae numerus est, ut facile credideris, non in lingua ipsa, sed in scriptoris voluntate positum esse, utrum attractionem adhibere voluerit necne. Sed aliter res se habet. Accuratius enim qui exempla illa secum reputaverit, facile intelleget, scriptorem plerumque certis, quales aut semper aut tum fuerint, legibus adstrictum eam omisisse. Quas in leges age nunc inquiramus.

Non solum apud Herodotum, sed apud omnes scriptores primaria attractionis adhibendae conditio haec est, ut enuntiatum rel. tam arto necessitudinis vinculo cum ea notione, ad quam pronomen rel. pertinet, coniuncta sit, ut sensu incolumi deleri nequeat. Quae ratio si minus inter enuntiatum relativum et notionem illam regentem intercedit, attractio locum non habet velut II. 38 τῶν προκειμένων σημηίων, τὰ ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἐρέω. Enuntiationem rel. minime ad intellegendam voculam σημηίων iam participio προκειμένων definitam posci, scriptor ipse testatur, quippe qui signa illa narranda in alium librum differre se dicat. I. 41 συμφορῇ πεπληγμένον ἀχάριτι τήν τοι οὐκ ὀνειδίζω ἐκάθηρα. Adrasti calamitas attributo ἄχαρις satis ostenditur neque enuntiatio rel. vocem συμφορῇ explicat, sed notionem voci ἀχάριτι oppositam continet. Simile exemplum habes II. 43 τὸν Ἕλληνες οἴδασι.

Sed enuntiatum rel. quamvis ad sententiam plane intellegendam requiratur, tamen tantum abest, ut semper ad attractionem Herodoto aptum videretur, ut provinciam eius finibus sat angustis circumscriberet, qui gradatim a sequentibus scriptoribus prolati sunt. Omittit enim attractionem in enuntiationibus rel. nimis dilatatis II. 161. III. 37. III. 51. III. 91. V. 113. VI. 138. VII. 185; omittit si in enuntiato relativo praeter accusativum pronominis vices obiecti gerentem alter praedicati accusativus extat aut si accusativus ille pronominis additamento aliquo definitur veluti II. 100 ἀδελφεῷ, τὸν Αἰγύπτιοι βασιλεύοντα σφέων ἀπέκτειναν I. 192. τῆς χώρης ταύτης, τὴν οἱ Πέρσαι σατραπηίην καλέουσι II. 36. II. 42. II. 94. II. 171. III. 47. IV. 180. IX. 90. Causa patet. Attractio in pronominis accusativo adhibita etiam alterum illum accusativum corripere debebat. Tantam vero potestatem, ut hoc efficeret, notio illa, quae enuntiatum rel. regit, apud Herodotum nondum assecuta est, assequitur inde a Thucydidea aetate. Non minus prospere pronomen rel. casum suum defendit, si a participio pendet IX. 70 (μυριάδων) καταδεουσέων τεσσάρων τὰς ἔχων Ἀρτάβαζος ἔφευγε; VII. 69; aut si in enuntiato rel. participium cum verbo finito ita coniunctum est, ut ambo, participium et verbum finitum, consociatis viribus pronominis casum tutentur I. 27. Ἑλλήνων τίσωνταί σε, τοὺς σὺ δουλώσας ἔχεις V. 25. VII. 208.

Deinde attractio ab eis enuntiationibus rel. abhorret, quarum verbum non indicativo, sed coniunctivo cum ἂν comprehenditur ab eisque, in quibus pronomen rel: ad nomen proprium pertinet, quippe quod per se satis distinctum ad intellectum suum auxilii enuntiationis rel. non indigeat IV. 64 τῆς ληίης μεταλαμβάνει, τὴν ἂν λάβωσι I. 29. IV. 69. IV. 172. VI. 125. IV. 199. V. 30.

Postremum attractio omittitur, si, cui nomini explicando enuntiatio rel: inservit, ab illo altero nomine interposito disiuncta est III. 10. ἐν τῇσι ταφῇσι τῇσι ἐν τῷ ἱρῷ, τὰς αὐτὸς οἰκοδομήσατο. III. 47.

Vides ad quam parvum numerum tanta illa omissae attractionis exemplorum copia (40) redacta sit, ut quarta fere pars restet. Cur vero his locis scriptor attractionem non

adhibuerit, nullam aliam causam afferre possum nisi quod aetate Herodotea attractio certam sedem et domicilium nondum sibi constituerat, sed constituere conabatur. Itaque fiebat, ut Herodotus, ubi posteriores scriptores attractionem sine dubio adhibuissent, saepe omitteret. En eiusmodi exempla: II. 108 τῷ μὲν ὁμίλῳ, τὸν ἐπηγάγετο. IV. 64 τοῦ ἵππου, τὸν αὐτὸς ἐλαύνει. II. 135 IV. 35 IV. 81. His locis pronomen rel. genere masculino et numero singulari comprehenditur, quae forsitan causa attractionis ab Herodoto neglectae fuerit. Nullum enim eiusmodi exemplum admissae attractionis invenimus. Sin autem illi loci excusationem habent, non habent hi: I. 127 λήθην ποιεύμενος τά μιν ἐόργεε. I. 186 τοῖς λίθοισι, τοὺς ὠρύξατο IV. 155 τῆς τιμῆς, τὴν ἔσχε. VI. 55 τά δὲ ἄλλοι οὐ κατελάβοντο, τούτων μνήμην ποιήσομαι.

Reliquum est, ut de locis quibusdam perverse attractione explicatis paucis disseram VII. 99 τῶν δὲ κατέλεξα πολίων ἡγεμονεύειν αὐτὴν, τὸ ἔθνος ἀποφαίνω πᾶν ἐὸν Δωρικόν. Genitivus τῶν non voci πολίων originem debet, sed a verbo ἡγεμονεύειν pendet, quamquam Kruegerus, quantum ex adnotatione loci: τὸ ἔθνος τῶν πολίων, ἃς κατέλεξα conicere licet, eum ex accusativo ἃς per attractionem vocis πολίων ortum esse censet. Sane de sueta verborum collocatione auctor decessit, cum genitivum πολίων pendentem ab ἔθνος in enuntiationem rel. inseruerit. Similis locus invenitur VII, 196. Recte Kruegerus interpretatus est VII. 151 εἴ σφι ἔτι ἐμμένει, τὴν πρὸς Ξέρξην φιλίην συνεκεράσαντο. Subiectum verbi ἐμμένει non Artaxerxem, sed φιλίην intelligi oportet, quae vox per transpositionem in enuntiationem rel. inserta eum induit casum, quem verbum finitum συνεκεράσαντο poscit. Locus VIII. 102 Μαρδόνιον δὲ . . . αὐτοῦ καταλιπεῖν σὺν τοῖσι ἐθέλει duplicem interpretationem habet, cum in enuntiatione rel. aut ex antecedenti verbo καταλείπειν passivum καταλείπεσθαι mente cogitare aut σὺν τοῖσι e σὺν τοῖσι τοὺς per attractionem ortum esse statuere liceat.

Caput II.

Priusquam ad Antiphontea exempla ipsa me vertam, praemitto inter exempla in tetralogiis et in reliquis tribus orationibus reperta discrimen me non facturum esse. Nam quamvis varia de his oratiunculis suffragia homines philologi tulerint, tamen nondum repertus est, qui certis argumentis eas subditicias esse demonstraret, quamquam concedendum est, tumpore longe a ceteris orationibus eas distare neque ad Antiphontem senem referendas esse.

Attributivi generis exempla, in quibus accusativus prominis rel. antecedenti genitivo succubuit, haec inveniuntur:

II. β, 3. ἐξ αὐτῶν ὧν ἔπραξα.

II. β, 11. πάντων ὧν ἐμὲ ἄξιόν φασι παθεῖν εἶναι.

VI. 8. περὶ τῶν ἄλλων ὧν οὗτοι κατηγοροῦσιν.

VI. 17. ἐξ αὐτῶν τούτων ὧν αἰτιῶνται οὗτοι ἀποφανῶ.

Quorum alterum imprimis exemplum animum nostrum in se convertit propter structuram accusativi c. inf., quae in enuntiatione rel. extat. Illa vero structura pendet a verbo φασὶ et a se pendentem facit infinitivum παθεῖν, cuius obiectum ἅ genitivo πάντων casu adaequatum est. Satis contorta igitur enuntiatio rel. est et dubito, num Antiphon attractionem adhibuisset, nisi natura vocis ἄξιος attractioni opitulata esset. Constructionem enim enuntiati rel. etiam sic explicare possumus, ut genitivum ὧν ab ἄξιον pendere et infinitivum παθεῖν per epexegesin additum esse statuamus. Itaque ea ipsa re, quod vox ἄξιος in propinquo erat, attractionis admittendae difficultas deminuta est.

Substantivi generis exempla numero longe praevalent, quorum quae a nomine aut a verbo pendent, haec sunt:

I. 23. ὅπως δίκην μὴ δῷ, ἂν ὑμᾶς πείθῃ, ὧν ἠδίκηκεν. Similia exempla invenies.

I. 24. duo; VI, 36; VI, 50.

II. α, 2. τὴν ἀσφάλειαν ὧν ἐπιβουλεύουσι σκοποῦντες.

Laudo locos apud Antiphontem et Andocidem ex editionibus Blassii Lipsiae 1871 et 1880; apud Lysiam ex editione Scheibii Lipsiae 1872.

III. β, 3. κατά γε τὴν ἀλήθειαν ὧν ἔπραξεν.
IV. γ, 3. σημεῖον οὐδὲν ὑπολιπὼν ὧν ἠμύνατο.
VI. 9. ὧν τὴν πόλιν φασὶν ἀδικεῖσθαι, τούτων . . .
III. β, 6. οἴτε γὰρ ἁμαρτάνοντες ὧν ἂν ἐπινοήσωσι δρᾶσαι.
IV. α, 3. στερόμενος ὧν ὁ θεὸς ἔδωκεν αὐτῷ.
VI. 38. ἐτιμήθη αὐτοῖς ὧν ὑμεῖς ἐπίστασθε.

Quid de singulis dignum sit memoratu, exponam. VI, 9 enuntiatio rel. structura acc. c. inf. continetur argumentumque eius pronomine demonstrativo in unum quasi collectum ad sententiae vim augendam repetitur. Hoc artificium, quo adhibito sententia expressior et nervosior evadit, maxime oratoribus placet, quorum verba eodem, quo proferantur, temporis momento etiam intellegi ideoque quam dilucidissime eis, qui audiunt, quasi ante oculos poni necesse est. IV, γ, 3 σημεῖον οὐδὲν ὑπολιπών, ὧν ἠμύνατο pronomen rel. non directum, sed immanens significat obiectum. Relativum eandem fere vim habet, quam demonstrativum copulatum cum coniunctione ὅτι et eum in modum vertere licet; sed in genitivo ὧν non ὅτι, sed accusativum immanentem ἃ latere animis nostris infixum esse oportet. Quod idcirco premendum esse puto, ne coniectura locum tentes et ὡς legendum esse censeas. Ceterum eiusmodi exempla non ita frequentia sunt. Persimile id est, quod iam Maetznerus exhibuit: Demosth. XVI. 13 προσήκει δήπου πλείω χάριν αὐτοὺς ἔχειν ὧν (= τούτων ἃ) ἐσώθησαν ὑφ᾽ ὑμῶν . . . ἢ ὧν ἀδικεῖν κωλύονται, νῦν ὀργίζεσθαι. Porro attractio apud Antiphontem eis quoque enuntiationibus rel. potita est, quarum verbum finitum modo coniunctivo cum ἂν comprehenditur III, β, 6 οἵ τε γὰρ ἁμαρτάνοντες ὧν ἂν ἐπινοήσωσι δρᾶσαι. Non ignoro, in libris mss. τὶ post ἐπινοήσωσι exaratum esse, sed certissima est Maetzneri emendatio, qui primus vidit, hanc voculam e sequenti versu huc intrusam esse.

In praepositionis aut comparativi potestatem enuntiatum rel. redactum vides:

II. α, 3. ἐξ ὧν γιγνώσκομεν, πειρασόμεθα ὑμῖν δηλοῦν.

III. γ, 10. ἐξ ὧν αὐτοὶ λέγουσι δηλώσω.

IV. γ, 4. ἐκ γὰρ ὧν ἐκεῖνος διανοηθεὶς ἔδρασεν, ὁ ἀνὴρ τέθνηκεν.

IV. γ, 4. ὁ μὲν γὰρ ἐξ ὧν ἔδρασεν ἐκεῖνος διαφθαρείς.
VI. 32. ἐλέγχεσθαι περὶ ὧν ᾐτιῶντο.
Fragm. I. περὶ τοίνυν ὧν Ἀπόληξις κατηγόρηκεν.
IV. γ, 4. μείζω ὧν ἤθελε πράξας.
IV. δ, 6. ὡς δὲ οὐδὲ κρεισσόνως, ἀλλὰ πολὺ ὑποδεεστέρως ὧν ἔπασχεν ἠμύνετο, διδάξω.

De duobus exemplis nonnulla addo, quorum in altero progressum, quem scriptor in attractionis usu fecit, animadvertere licet. Quamquam enim IV. γ, 4 in enuntiato rel. praeter verbum finitum participium inest, tamen ne ambo quidem praepositionis in pronomen impetum repellere et casum eius tutari potuerunt. Vides, quantam vim praepositio in enuntiationem rel. exercereat. Alter locus IV. δ, 6 ὑποδεεστέρως ὧν ἔπασχεν ἠμύνετο paulisper nos tenet, quia memoria Cod. non integra est. Cod. A et N praebent κρεῖσσον ὧν, reliqui κρείσσων ὧν omnesque uno consensu ὑποδεέστερος. Reiskius κρεῖσσον ὧν et ὑποδεέστερος in κρεισσόνως et ὑποδεεστέρως mutavit et ceteri editores eius coniecturam amplecti non dubitaverunt. Solus Maetznerus auctoritatem Cod. deteriorum servandam esse ratus enuntiatum rel. attr. a verbo ἀμύνεσθαι pendens facit. Atque profecto si Maetzneri scripturae suffragabimur haec relatio recte se habet cf. Kuehner gr. gr. II. p. 331 ed. II. Ego qui coniecturam Reiskianam certissimam puto, enuntiatum rel. ὧν ἔπασχεν a comparativo ὑποδεεστέρως pendere volo, quae interpretatio verbis sequentis paragraphi κρεισσόνως ἠμύνετο ἢ ἐπάσχεν fulcitur.

Enuntiationes rel., in quibus accusativus pronominis per assimilationem dativum induit, quinque in Antiphonteis orationibus inveniuntur, tres attributivi, duae substantivi generis.

IV. β, 7. ἐθέλω δὲ . . . πᾶσιν οἷς ἐγκαλοῦσιν ἐνόχους αὐτοὺς ὄντας ἀποδεῖξαι.

V. 36. προτέρῳ νῦν χρήσονται τῶν λόγων; πότερα ᾧ πρῶτον εἶπεν ἢ ᾧ ὕστερον;

VI. 28. τοῖς δὲ λόγοις οἷς αὐτοὶ λέγουσι.

III. γ, 3. προέχων ἡμῶν . . . ἐν οἷς ἔπρασσε.

IV. γ, 1. τοῦτόν τε οὐ θαυμάζω . . . ὅμοια οἷς εἴργασται λέγειν.

Loco V. 36 codices non conspirant, cum omnes τῶν λόγων

praebeant praeter A pr., qui habet τῶ λόγων, quam scripturam altera manus, cuius correctiones nullius sunt pretii, in τῶν λόγων mutavit. Illud vero τῶ λόγων aut ex τῶν λόγων aut τῷ λόγῳ corruptum esse nemo non videt. Difficilior est quaestio, utra lectio sit praeferenda. Ego τῷ λόγῳ propter pronomen rel. ᾧ praefero, quia altera lectione usurpata longius quam ex attractionis legibus licere videtur, pronomen rel. a notione regente distaret. Pronomine vero πότερος Graecos non solum substantivi, verum etiam adiectivi loco usos esse permulta exempla ostendunt. Plat. Phaedr. p. 263 C. ποτέρου ὂν τυγχάνει τοῦ γένους. Plat. Phaed. p. 79 B. ποτέρῳ . . . ὁμοιότερον τῷ εἴδει φαῖμεν ἂν εἶναι . . . τὸ σῶμα. Plat. Gorg. p. 521 A. ἐπὶ ποτέραν οὖν με παρακαλεῖς τὴν θεραπείαν τῆς πόλεως.

Nominativus pronominis rel. genitivum induit II. δ, 2 δρῶντες δὲ τἀναντία ὧν προςτέτακται αὐτοῖς. VI. 4 ἀφέξεται ὧν εἴρηται ἐν τῷ νόμῳ. Priorem locum non attracti nominativi, sed accusativi exemplum esse forsitan putaveris, cum verbum δρᾶν mente addere liceat. Sed ut in germana lingua ad verba: das entgegengesetzte aber ausübend von dem, was ihnen aufgetragen ist, nemo quidquam supplet, sic in graeca quoque lingua illud δρᾶν non postulatur. Nam ὧν προςτέτακται nihil aliud significat, nisi τῶν προςτεταγμένων. Ne in altero quidem exemplo ὧν ab infinitivo ἀπέχεσθαι supplendo pendet; enuntiatione enim ὧν εἴρηται ἐν τῳ νόμῳ circumscribuntur nomina ἱερῶν, ἀγώνων, θυσιῶν cf. VI. 4; vertas igitur: abstinebit eis rebus, quae lege constitutae sunt.

Quoniam de admissa apud Antiphontem attractione dixi, nunc de omissa dicam. Atque hoc statim moneo, haud ita multa eiusmodi exempla extare neque usquam sine iusta causa attractionem neglectam esse. Hac autem ipsa re novum habes argumentum, quo attractionem inde ab Herodoto incrementa iam cepisse apparet. Sed ne falsa contendisse videar, locos ipsos proponi eorumque naturam examinari oportet. I. 3 τιμωρῆσαι πρῶτον μὲν τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις, οὓς παρὰ τῶν θεῶν καὶ τῶν προγόνων διαδεξάμενοι κατὰ τὸ αὐτὸ ἐκείνοις [περὶ τῆς καταψηφίσεως delevit Lehner] δικάζετε. Enuntiatum rel. nimis dilatatum est, neque ad intellegendas voces τοῖς νόμοις requiritur.

Idem fere quadrat in enuntiationem rel. V. 79 ἃ μὲν οὖν μετὰ τῆς πόλεως ὅλης ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ γνώμῃ ἔπραξε, τούτων οὐ δίκαιός ἐστιν ὁ ἐμὸς πατὴρ ἰδίᾳ δίκην διδόναι, quae quamquam sensu incolumi deesse nequit, tamen additamentis nimium producta est. IV. β, 7 enuntiatum rel. ὃν ὁ θεὸς παρέδωκέ μοι vocem τοῦ βίου non explicat ac definit, sed ostendit, qua de causa accusatores, qui reum vita privare student, numen dei violent, ideo videlicet, quia vita hominum donum est dei. Postquam vero in his exemplis causam neglectae attractionis investigavimus, facilius in sequentibus hoc nobis cedet, in quibus variae simul res impedimento fuerunt, quominus scriptor attractionem adhiberet velut V. 12 et VI. 40 ubi enuntiata rel. praeter accusativum pronominis alterum vel praedicati vel appositionis continent, quem attractio in illo admissa eodem modo corripere debebat. A talibus vero enuntiatis, quae inde a Thucydide attractio tentare conatur, Antiphonteus usus alienus est. Accedit, quod utraque enuntiatio rel. vicibus concessivae sententiae fungitur neque eam, ad quam pertinet notionem explicat. VI. 28 τοῖς δὲ λόγοις . . . οὓς ἐγὼ εἰ ἔλεγον ἄνευ μαρτύρων, ψευδεῖς ἂν κατηγόρουν εἶναι enuntiato rel. alter conditionalis ambitus insertus est. Ab eiusmodi autem enuntiationibus attractionem non solum apud Antiphontem, sed etiam apud posterioris aetatis scriptores abhorrere videbimus. De locis V. 42 IV. δ, 5 plura verba facere supersedeo, quorum in priore enuntiatio rel: non explicationi notionis regentis inservit, in altero vera lectio iam a Sauppio, voce ὃν in ὃς mutata, restituta est. Immerito attractio neglecta est V. 84 τοῖς δὲ λόγοις οὓς αὐτοὶ λέγουσι πιστεύειν, cum enuntiatio rel. vocem λόγοις explicet, ut sententia salva deleri nequeat; deinde brevis est et modo indicativo comprehensa. Quid igitur statuamus? Vocem οὓς in οἷς mutandam esse, praesertim cum loco gemino VI. 28 οἷς legatur.

Falso attractionem agnoveris I. 7 πῶς περί γ' ὧν οὐκ ἠθέλησε πυθέσθαι propter constructionem verbi πυνθάνεσθαι περί τινος et III. β, 8 περιέπεσεν οἷς οὐκ ἤθελεν, ubi in enuntiatione rel. περιπεσεῖν cogitatione addendum est.

Restat, ut usum attractionis, qualis in universum apud

Antiphontem apparuerit, in unum colligam et cum Herodoteo conferam. Apud Herodotum, si detrahis formulam τῶν ἡμεῖς ἴδμεν (ἐγὼ οἶδα), 38 omnino exempla attractionis extant, in Antiphonteis orationibus, quae decimam circiter partem Herodotearum historiarum efficiunt, 31. Apud illum ter accusativus antecedenti dativo succubuit, apud hunc quinquies; apud Antiphontem duo nominativi attracti exempla inveniuntur, apud Herodotum unum. Hoc ipso exemplorum numero si iam elucet, attractionis usum inde ab Herodoto usque ad Antiphontem magis in consuetudinem graecae linguae venisse, multo magis hoc apparebit, si naturam et indolem exemplorum examinaverimus. Enuntiationes rel. attr., quarum ambitus hic illic apud Antiphontem iam productior est et uno loco vel structuram accusativi c. inf. induit, apud Herodotum solum indicativo, apud Antiphontem etiam coniunctivo cum ἄν comprehensae sunt; apud hunc in enuntiatione rel. participium verbo finito adiunctum invenitur, apud illum id ipsum omittendae attractionis causa est. Sed non minus ex omissa, quam ex admissa attractione progressus animadvertitur. Apud Antiphontem ne uno quidem loco attractio immerito neglecta est, apud Herodotum, si non multi, tamen sunt loci, quibus mihi quidem non contigerit, ut causam, qua commotus autor attractionem omiserit, intellegerem.

Haec habui, quae de Antiphonteo attractionis usu proferenda putarem.

Caput III.

Venio nunc ad eum scriptorem, qui diutius nos morabitur non solum propter exemplorum copiam, verum etiam propter difficultatem, quae in eis explicandis occurrit. Sed videamus singula.

Attributivi generis exempla, in quibus accusativus pronominis rel. a genitivo vel nominis vel pronominis attractus est,

apud Thucydidem[1]) inveniuntur 11, qorum in numero genitivus ὧν (ὧνπερ) sexies neutrius, semel masculini, semel feminini generis est; genitivus singularis non extat, nisi generis feminini tribus locis. Exempla ipsa sunt:

I. 72, 1. τῶν μὲν ἐγκλημάτων πέρι μηδὲν ἀπολογησομένους, ὧν αἱ πόλεις ἐνεκάλουν.

II. 21, 3. αἴτιόν τε σφίσιν ἐνόμιζον πάντων, ὧν ἔπασχον.

III. 58, 5. ἀτίμους γερῶν, ὧν νῦν ἴσχουσι.

VI. 31, 1. διὰ τὸ πλῆθος ἑκάστων, ὧν ἑώρων.

I. 143, 3. τούτων τε ὧνπερ ἐκείνοις ἐμεμψάμην.

V. 37, 3. ἐδέοντο τούτων, ὧνπερ καὶ οἱ ... φίλοι ἐπεστάλκεσαν.

VI. 40, 1. πάντων ἀξυνετώτατοι, εἰ μὴ μανθάνετε κακὰ σπεύδοντες, ὧν ἐγὼ οἶδα Ἑλλήνων.

VII. 21, 1. ἀπὸ τῶν πόλεων, ὧν ἔπεισε.

I. 75, 1. ἀρχῆς γε, ἧς ἔχομεν.

I. 93, 3. ἀρχῆς, ἧς κατ᾽ ἐνιαυτὸν Ἀθηναίοις ἦρξε.

VII, 54. τροπαῖον ἔστησαν ... Ἀθηναῖοι δὲ, ἧς τε οἱ Τυρσηνοὶ τροπῆς ἐποιήσαντο τῶν πεζῶν εἰς τὴν λίμνην καὶ ἧς αὐτοὶ τῷ ἄλλῳ στρατοπέδῳ.

Duas in partes attractionem fines imperii propagasse vides: neque enim solum altera pronominis forma ὅσπερ potita est, sed etiam eas enuntiationes rel. in ditionem suam redegit, in quibus praeter accusativum obiecti alter praedicati invenitur. Quod haud parvi momenti est, cum non unum, sed duo vocabula enuntiationis rel. proprium casum exuere et alium extrinsecus obtrusum induere necesse sit. Sed facile contendas, genitivum Ἑλλήνων VI. 40, 1. non veram enuntiationis rel. esse partem, sed per transpositionem ex superiore in relativam enuntiationem translatum esse. Quod ne statuamus, verborum nexus vetat. Athenagoras enim, qui verba facit, si illam interpretandi rationem amplexamur, haec dicit: Syracusanos non omnium Graecorum, quotquot sunt, sed solum eorum, quos ipse cognoverit, esse stultissimos. Restringit igitur quodam modo civium suorum dementiam, sicut Herodotus, si cui notioni cum pronomine πᾶς coniunctae verba τῶν ἡμεῖς ἴδμεν adicit.

[1]) Usus sum editione Stahl. Lipsiae 1874.

Talis vero temperantia ac moderatio non ex turbulenti oratoris animo est, qui gravissimis verbis cives reprehendat. At veram transpositionem cum attractione coniunctam habemus VII. 54, quo loco auctor usitatam verborum collocationem amplexus sic scribere debebat. τροπαῖον ἔστησαν Ἀθηναῖοι τροπῆς ἧς τε οἱ . . .; sed voculam τροπῆς transposuit, ut colorem orationis variaret et distingueret. Nam nunc, quia nomen τροπή in propinquo est, genitivum τῶν πεζῶν ponere ei licuit, cui postea, quia τροπῆς longius distat, dativus τῷ ἄλλῳ στρατοπέδῳ respondet; simulque hac ipsa transpositione id quoque egit, ne alter genitivus attractus a notione regente nimis longe remotus esset.

Substantivi generis exempla, ne permagnus eorum numerus nos defatiget neve defatigatos quidquam observatione dignum effugiat, ex natura notionum, a quibus enuntiata rel. reguntur, in diversas classes distribuemus et primo loco, quae a nominibus pendent, enumerabimus.

I. 22, 1. χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε, ὧν αὐτὸς ἤκουσα.

I. 37, 3. παρέχει αὐτοὺς δικαστὰς, ὧν βλάπτουσί τινας.

I. 70, 7. τὴν ἐπιχείρησιν ποιεῖσθαι, ὧν ἂν γνῶσι.

I. 72, 1. ὑπόμνησιν ποιήσασθαι τοῖς τε πρεσβυτέροις, ὧν ᾔδεσαν . . . .

I. 120, 2. ἀντίληψιν, ὧν ἡ θάλασσα τῇ ἠπείρῳ δίδωσι.

III. 59, 1. οἴκτῳ . . . λαβόντας μὴ ὧν πεισόμεθα μόνον δεινότητα.

III. 61, 1. ἐποιήσαντο . . . ἔπαινον ὧν οὐδεὶς ἐμέμψατο.

III. 67, 6. ἀνταπόδοτε χάριν δικαίαν, ὧν προθύμοι γεγενήμεθα.

IV. 63, 1. τὸ ἐλλιπὲς τῆς γνώμης, ὧν ἕκαστός τις ᾠήθημεν πράξειν.

IV. 83, 5. καθαιρέτην, ὧν ἂν αὐτὸς ἀποφαίνῃ πολεμίων.

V. 69, 2. ὧν ἠπίσταντο τὴν παρακέλευσιν τῆς μνήμης . . . ἐποιοῦντο.

IV. 15, 4. φοβηθέντες τὸ μέγεθος τῆς διανοίας, ὧν καθ' ἓν ἕκαστον . . . . ἔπρασσεν.

VI. 49, 2. τῇ προςδοκίᾳ ὧν πείσονται.

VI. 53, 1. ἐς ἀπολογίαν, ὧν ἡ πόλις ἐνεκάλει.

VII. 70, 6. ἀποστέρησιν τῆς ἀκοῆς, ὧν οἱ κελευσταὶ φθέγγοιντο παρέχειν.

Quae de indole et collocatione nominum, a quibus enuntiata rel. pendent et quae alia memoranda sint, exponam. Nomina illa magna ex parte e verbis sentiendi et dicendi derivata sunt, veluti ὑπόμνησις, γνώμη, μνήμη, ἀκοή et ante ipsam enuntiationem rel. vel paucis voculis disiuncta locum tenent. III. 59, 1 nomen regens enuntiatum rel. subsequitur; V, 69, 2 non solum sequitur nomen, verum etiam alterum nomen interpositum vides, quia verba ὧν ἠπίσταντο non a propiore παρακέλευσιν, sed a remotiore μνήμης pendent. Nomen regens et enuntiatum rel. ubi solito longius inter se distant, ut I, 22, 1, hoc non tam scriptoris voluntati, quam sententiae conditioni debetur. Vox enim, quae a nomine ἀκρίβεια pendet scil. λεχθέντων, postea in duas partes distribuitur, quarum prior est ὧν αὐτὸς ἤκουσα, altera participio affertur. Longe omnium nobilissimus locus est IV. 83, 5, in quo attractio non solum in pronomine, sed etiam in altero accusativo praedicative ad illud referendo cernitur. Nam hoc loco nullo modo negari potest, sed pro certo confirmari debet, genitivum πολεμίων non per transpositionem in enuntiato rel. collocatum esse; deinde verbum finitum coniunctivo cum ἄν comprehenditur, quod cum l. I. 70, 7. commune habet; denique notandum est, hoc loco pronomen masculini, reliquis neutrius generis esse. Pronomen rel. attr. immanens obiectum significat III. 67, 6 quod exemplum simile illi Antiphonteo IV. γ, 3 est.

Enuntiationes rel. a pronomine aut verbo attractae sunt.

I. 129, 3. πράσσειν τι, ὧν ἐμοὶ ὑπισχνεῖ.

II. 35, 2. δρᾶσαί τι, ὧν ἤκουσε.

V. 13, 1. δρᾶν τι, ὧν κἀκεῖνος ἐπενόει.

VII. 67, 3. δρᾶν τι, ὧν βούλονται.

I. 139, 3. οὐδὲν ὧν πρότερον εἰώθεσαν scil. λέγειν.

II. 21, 3. ὧν παρῄνεσε πρότερον ἐμέμνηντο οὐδέν.

III. 26, 4. οὐδὲν ἀπέβαινεν αὐτοῖς, ὧν προσεδέχοντο.

I. 96, 1. ἀμύνεσθαι ὧν ἔπαθον.

III. 62, 4. ὀνειδίσαι ὧν μὴ μετὰ νόμων ἥμαρτεν.

IV. 20, 1. στερηθῆναι ὧν νῦν προκαλούμεθα.

IV. 38, 4. κολάζων … ὧν βούλονται μὲν, δύνανται δ' οὔ. τὸν γὰρ ἐχθρὸν οὐχ ὧν δρᾷ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς διανοίας προαμύνεσθαι χρή.

VIII. 77, 7. τευξόμενοι ὧν ἐπιθυμεῖ τέ που ἐπιδεῖν.

Vides omnibus locis pronomen rel. intercepto τούτων ab ipso vocabulo οὐδὲν aut τὶ pendere. Neque solum apud Thucydidem id animadvertimus, sed etiam apud Lysiam eandem rationem intercedere postea videbimus. Nam ne unum quidem apud hos invenies locum, ubi τούτων additum sit. Itaque a recto non aberrabimus, si censemus, scriptores illius iam aetatis ante omnia talem attractionis usum adamasse, ut pronomine demonstrativo omisso enuntiationem rel. ab ipso pronomine aut praepositione, cuius generis exempla postea tractabo, pendentem redderent. Sed tantum abest, ut haec pronominis demonstrativi interceptio ad attractionem adhibendam necessaria sit, ut nascente attractione pronomen demonstrativum poni, virente et iam corroborata omitti censendum sit. Argumentum huius sententiae Herodoteus attractionis usus praebet, qui saepius pronomen demonstrativum addere quam omittere solitus est cf. Herod. VI. 86, 2 οὐδὲν εἰδέναι τούτων τῶν ὑμεῖς λέγετε. III. 80. IV. 114. VII. 8, 3; posteri vero auctores contrarium hac in re usum amplexi sunt, quo brevior et elegantior oratio procederet. Haec ea de causa non praetermittenda duxi, quod nonnulli viri docti falsa opinione capti contenderunt, ex ipsa pronominis demonstrativi ellipsi attractionem pronominis rel. ortam esse.

De singulis exemplis copiosius disputare supersedeo, quia nihil difficultatis prae se ferunt et haec tantum addo. Verba, quae enuntiatum rel. attrahunt, sunt: ἀμύνεσθαι ὀνειδίζειν, στερίσκεσθαι, κολάζειν, προαμύνεσθαι τυγχάνειν. I. 139, 3 ex enuntiato superiore in relativo λέγειν mente supplendum est; VI. 38, 4 bene animadvertere licet, has enuntiationes rel. nominis esse vicarias; nam in eodem ambitu duarum, quae inter se opponuntur, notionum alteram enuntiato rel., alteram nomine expressam videmus.

A praepositione ἀπὸ, ἐξ, πέρα, περί haec enuntiata rel. pendent.

III. 64, 2. ἀξιοῦτε, ἀφ' ὧν δι' ἑτέρους ἐγένεσθε ἀγαθοὶ, ἀπὸ τούτων ὠφελεῖσθαι.

VII. 14, 2. ἀφ' ὧν ἔχοντες ἤλθομεν.

VII. 31, 5 δέκα ναῦς . . . ἀφ' ὧν αὐτοὶ εἶχον ξυμπέμπουσι.

VII. 48, 2. τά τῶν πολεμίων, ἀφ'ὧν ἐπὶ πλέον ἢ οἱ ἄλλοι ᾐσθάνετο αὐτῶν, ἐλπίδος τι ἔτι παρεῖχε.

VII. 6, 4. ὡς ἐκεῖ οὐκ ἔλασσον ἢ ἑξήκοντα ἀφ' ὧν οἱ Χῖοι ἔλεγον ὑπαρχουσῶν sc.: νεῶν.

III. 37, 2. οὐκ ἐξ ὧν ἂν χαρίζησθε βλαπτόμενοι αὐτοὶ ἀκροῶνται ὑμῶν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἰσχύι μᾶλλον ἢ τῇ ἐκείνων εὐνοίᾳ περιγένησθε.

IV. 126, 3. ἐξ ὧν τε προηγώνισθε τοῖς Μακεδόσιν αὐτῶν καί ἀφ' ὧν ἐγὼ εἰκάζω.

V. 87. ἐκ τῶν παρόντων καὶ ὧν ὁρᾶτε.

VI. 17, 6. ἐξ ὧν ἐγὼ ἀκοῇ αἰσθάνομαι.

VI. 36, 3. οὐκ ἐξ ὧν οὗτοι ἀγγέλλουσι σκοποῦντες λογιεῖσθε τὰ εἰκότα, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἄνθρωποι δεινοὶ καὶ πολλῶν ἔμπειροι . . . δράσειαν.

VI. 83, 3. ἀποφαίνομεν δὲ ἐξ ὧν οἵδε τε διαβάλλουσι.

VII. 48, 3. ἐξ ὧν ἄν τις εὖ λέγων διαβάλλοι, ἐκ τούτων αὐτοὺς πείσεσθαι.

VII. 67. 4. γνῶτε ἐξ ὧν ἡμεῖς οἰόμεθα σαφῶς πεπύσθαι.

II. 64, 1. ἐπιγεγένηταί τε πέρα ὧν πρόςεδεχόμεθα ἡ νόσος ἥδε.

I. 85, 2. πέμπετε δὲ περὶ ὧν οἱ ξύμμαχοί φασιν ἀδικεῖσθαι.

I. 90, 3. πέμψουσιν . . . πρέσβεις περὶ ὧν λέγουσιν.

II. 40, 3. περὶ ὧν ἐπιχειρήσομεν.

V. 39, 2. ἐγίγνοντο . . . λόγοι . . . περὶ ὧν εἶχον ἀλλήλων.

Copia satis est ampla, quae attractionem in eiusmodi enuntiatis rel. imprimis castra posuisse demonstrat. Ex hoc vero frequentiore liberior quoque attractionis usus oritur. Enuntiatio rel. non ita concisa est, ut Herodoti more duobus vocabulis constet, sed saepe modum quinque, hic illic octo vel novem, uno loco VI. 36, 3. duodecim vocabulorum ita complevit, ut ei altera sententia inserta sit; deinde verbo finito enuntiati rel: participium, quod pronomen regit, additum est, VII. 14, 2 ἀφ'ὧν ἔχοντες ἤλθομεν, cuiusmodi exemplum nondum cognovimus. A participio et verbo finito pronomen rel. pendet loco VII. 48, 3; unum tale Antiphonteum exemplum invenimus, nullum Herodoteum. Idem in locum III. 37, 2

ubi verbum coniunctivo cum ἂν continetur, quadrat. Locis VI. 36, 3 et VIII. 48. 3 usus attractionis eo dilatatus est, quod verbum formam optativi cum ἂν, locis VII. 67, 4. I. 85, 2 quod structuram accusativi c. inf. induit. Compluribus locis, ut III. 64, 2. IV. 126, 3 obiectum immanes, quod dicitur, esse videmus. Restat, ut moneam, l. III. 64, 2 enuntiatum rel. voce τούτων in unum collectum ante ὠφελεῖσθαι repeti; quo fit, ut argumentum enuntiationis rel. et vox ὠφελεῖσθαι quam fieri potest vehementissime inter se opponantur itaque Plataeensium, qui merita aliorum in suam laudem et commodum vertere student, animi perversitas perstringatur.

Eis, qui supersunt, huius generis locis enuntiatio rel. a superlativo vel simili notione regitur et nihil fere est, quin iam in antecedentibus exemplis obviam ierit.

I. 4. παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν. Similia exempla invenies I. 13, 4. I. 18, 1. V. 105, 4.

VII. 87, 5. ἔργον . . . μέγιστον ὧν ἀκοῇ Ἑλληνικῶν ἴσμεν. Haud dissimilis est structura IV. 83, 3. VI. 40, 1.

VIII. 24, 4. Χῖοι . . . μόνοι . . . ὧν ἐγὼ ᾐσθόμην ηὐδαιμόνησαν.

His tractatis ad eas enuntiationes rel: transeo, quarum accusativus pronominis non in genitivum, sed in dativum transiit. Quae cum numero multo inferiores sint, facile aliquis putaverit, dativum e natura sua minus aptum esse, quin pronomen rel: attrahat. Hanc sententiam cum non prorsus improbaverim, tamen primariam minoris exemplorum copiae causam in eo positam esse persuasum habeo, quod neque a nomine neque a pronomine nisi ab ὁ αὐτός dativus pendet, quo efficitur, ut magnae illae classes evanescant, deinde vero usus praepositionum quarundam, quae genitivum flagitant, ἐκ, ἀπὸ, περὶ in lingua Graeca est frequentissimus. Ex his rationibus extrinsecus allatis, quae frequentiori attractionis usui in dativo impedimento erant, haud scio an magna ex parte factum sit, ut artioribus quoque finibus hic usus circumscriberetur. Exempla enim si animo perlustraverimus, simplicis generis esse inveniemus. Nam ambitus brevior est, dativus pronominis rel. attr. semper directum obiectum significat; nullum participium enuntiationi rel. interpositum, nullum enuntiatum

rel. constructione acc. c. inf. vel nom. c. inf. comprehensum nobis occurrit. Vera me proloqui ex appositis locis cognosces.

VI. 76, 2. προφάσει μὲν ᾗ πυνθάνεσθε.

IV. 36, 1. ὁδῷ ᾗ ἂν αὐτὸς εὕρῃ.

VIII. 86, 9. ἀφικνοῦνται ἧπερ εἶχον τριήρει.

I. 33, 2. οἷς ἐπικαλοῦνται ἀσφάλειαν . . . διδόντες.

IV. 19, 3. ἐμμένειν οἷς ξυνέθετο.

II. 36, 2. πρός οἷς ἐδέξαντο.

VIII. 108, 2. πληρώσας ναῦς ἐννέα πρὸς αἷς εἶχεν.

IV. 106, 2. προςεδέξαντο (scil.: ὁμολογίαν) ἐφ οἷς ἐκήρυξε.

V. 41, 3. ξυνεχώρησαν ἐφ οἷς ἠξίουν καὶ ξυνεγράψαντο.

VIII. 92, 3: εἰ μὴ . . . ἥκοιεν ἐφ οἷσπερ καὶ αὐτὸς ἀεὶ κατηγόρει.

IV. 98, 8. οὐγὰρ ἐν τῇ ἐκείνων (scil. γῇ) ἔτι εἶναι, ἐν ᾗ δὲ δόρι ἐκτήσαντο.

IV. 27, 4. ταὐτὰ λέγειν οἷς διέβαλλεν.

II. 67, 4. τοῖς αὐτοῖς ἀμύνεσθαι οἷσπερ καί οἱ Λακεδαιμόνιοι ὑπῆρξαν.

Exempla sunt tredecim, quorum in tribus pronomen ὅσπερ cernitur. Loco IV. 36, 1 coniunctivus cum ἄν in enuntiato rel., quod attributi vicarium est, invenitur et iam R. Foersterus p. 69. adn. 103 monuit, hoc huius generis exemplum esse vetustissimum. In eo, quod postremum locum obtinet, exemplo explicando ut cum Classenio consentiam, a me impetrare non possum. Ille enim adnotat, οἷσπερ per assimilationem pro ὧνπερ, legi ex usu Thucydideo apparere, quippe qui verbum ὑπάρχειν cum genitivo coniungere soleat. Quae sententia non recte se habet. Nam nunquam nedum Thucydidea aetate talis attractionis usus fuit, ut genitivus pronominis rel. in dativum mutari potuerit. Immo hoc loco verbum ὑπάρχειν accusativum regit, quam copulationem a graecae linguae consuetudine non abhorrere his locis intelleges. Aeschin. II. 26 II. 109 Demosth. XIX. 280 Isocr. XIV. 57 Aristoph. Lys. 1159; neque eo quod Thucydides tribus locis, quos Classenius adnotat I. 76, 2 II. 74, 3 III. 40, 5 illam structuram adhibuit, colligi potest, alteram ab usu eius alienam fuisse.

Haec hactenus: Ad nominativum pronominis rel. attractum

me verto. Unum huius attractionis exemplum extat certissimum alterum, quippe quod aliam quoque explicandi viam admittat, in ambiguo remanet.

VII, 67, 3 ἐς τὸ βλάπτεσθαι ἀφ' ὧν ἡμῖν παρεσκεύασται.

III, 37, 3 μηδὲν καθεστήξει ὧν ἂν δόξῃ πέρι.

Ullrichio, qui locum III, 37, 3 per attractionem interpretatur et verba ὧν ἂν δόξῃ πέρι pro περὶ τούτων, ἃ ἂν δόξῃ scripta esse putat, Classenius non adsentitur, qui nominativi attractionem veritus ante ὧν . . . πέρι, περὶ τούτων cogitatione supplendum esse censet. In utraque explicatione hoc mihi displicet, quod sine iusta causa praepositio περὶ ex enuntiatione rel. in sententiam superiorem transfertur. Pronomen enim μηδὲν genitivum, quod dicimus, partitivum requirit, cuius vices praepositio περὶ gerere nequit. Demonstrativo igitur pronomine τούτων, sed sine περὶ ante ὧν suppleto omnis explicationis difficultas tollitur; qua sententia accepta de attractione sermo esse nequit. Loco VII, 70, 3 πᾶς τέ τις ἐν ᾧ προσετέτακτο, ἠπείγετο caveamus, ne attractionem nominativi pronominis statuamus. Nam nominativus pronominis rel. antecedenti notioni non cedit, nisi pronomen est numeri pluralis. Immo attractio accusativi pronominis statuenda erit. Nam dicebatur quoque προστάσσομαί τι cf. I, 140, 5 ἄλλο τι ἐπιταχθήσεσθε.

Restat locus, in quo nova et adhuc a nobis nondum reperta attractio occurrit, dico verba iam satis sollicitata I, 1, 2 ἐκ δὲ τεκμηρίων ὧν ἐπὶ μακρότατον σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει. Pronomen rel. ὧν a nomine τεκμηρίων attractum esse, consentiunt; utrum vero ὧν ex ἃ an οἷς ortum esse statuamus, hac de re dubitatio esse potest. Nam quum pronomen rel. non solum verbi πιστεῦσαι, sed etiam participii σκοποῦντι obiectum sit, utraque sententia per se stare videtur posse. Priusquam autem de hac re iudicium faciamus, quaeramus, num omnino talis attractio, qua dativus genitivum induat, apud Graecos scriptores inveniatur. Locos nonnullos, qui huc faciunt, congessit Kuehner gr. gr. II. p. 914. Plat. Prot. 361. E ὧν ἐντυγχάνω πολὺ μάλιστα ἄγαμαί σε.

Plat. Gorg. 509 A. ὧν ἐγὼ ἐντετύχηκα . . . οὐδείς.

Xenoph. Mem. IV. 1. 4. ἐξεργαστικωτάτους ὧν ἂν ἐγχειρῶσι.

Xenoph. Mem. II. 2, 5. μεταδιδοῦσα τῆς τροφῆς ἧς καὶ αὐτὴ τρέφεται.

Xenoph. Cyrop. V. 4, 39. ἤγετο δὲ καὶ τῶν ἑαυτοῦ τῶν τε πιστῶν οἷς ἥδετο καὶ ὧν ἠπίστει πολλούς.

Aesch. II. 117. παρ᾽ ὧν μὲν βοηθεῖς οὐκ ἀπολήψῃ χάριν.

Hos locos si accuratius examinaverimus, genitivum non per se solum aptum esse, qui dativum in potestatem suam redigat, sed aliunde auxilium sibi comparare inveniemus. Locis enim Platonicis hoc attractioni adhibendae viam munivit, quod verbum ἐντυγχάνειν, si minus apud prosaicos Atticos, tamen apud poetas et apud Herodotum hic illic cum genitivo coniungitur. Neque vero Kuehnero neganti attractionem his locis statuendam esse, adsentiri possum, cum Plato, quamvis saepe verbum ἐντυγχάνειν apud eum extet, nusquam alias genitivum cum hoc verbo iungat. Simili modo attractio loco Xenophonteo Mem. IV. I. 4 ex eo adiumentum accepit, quod ex antecedenti ἐξεργαστικωτάτους in enuntiato rel. verbum ἐξεργάζεσθαι animis legentium obversatur; Mem. II. 2, 5 figura τροφὴν τρέφεσθαι (cf. Herod. II, 2) supposita non dativi, sed vulgaris illa accusativi attractio efficitur; deinde Cyrop. V. 4, 39 duae notiones sibi opponuntur, quarum altera nomine, altera enuntiato rel. exprimitur. Nomen cum genitivum exhibeat, etiam pronomen rel. per assimilationem eundem casum praebere oportet. Etenim si scriptor dixisset: οἷς ἠπίστει, primo obtutu quivis putaret, inter se respondere verba οἷς ἥδετο et οἷς ἠπίστει. Sed eo ipso, quod ὧν ἠπίστει scripsit, Xenophon lectorem attentum reddit eique ansam rectae verborum relationis suppeditat. Enuntiatum enim ὧν ἠπίστει gerit vices participii τῶν ἀπιστουμένων oppositi verbis τῶν τε πιστῶν. Restat locus Aeschineus, quo sua indoles enuntiatum rel. ad attractionem adhibendam aptum reddiderit. Enuntiatio perbrevis est et a praepositione pendet, quo in genere attractionem praecipue inveterasse iam antea vidimus. Hoc ex fundamento Thucydideus quoque locus explicandus erit. Genitivum ὧν ex οἷς ortum esse propterea statuo, quia in praedicato πιστεῦσαι multo maior inest vis, quam in participio σκοποῦντι, quippe quod magis absolute ad-

iectum sit neque ita prematur. Sed eo ipso, quod participium, quod accusativum ἃ postulat, in propinquo erat, factum est, ut attractio facilius ingrueret. Haec explicandi ratio forsitan aliquid lucis attulerit loco, quem alii aliter explicant.

II, 63, 1. μηδὲ νομίσαι περὶ ἑνὸς μόνου . . . ἀγωνίζεσθαι . . . ἀλλὰ καὶ ἀρχῆς στερήσεως καὶ κινδύνου ὧν ἐν τῇ ἀρχῇ ἀπήχθεσθε. Classen haec adnotat: ὧν = τούτων ἃ der Genitiv zu κινδύνου in freierer Beziehung; es handelt sich um die Gefahr wegen aller der Unzufriedenheit, die ihr durch die Ausübung eurer Herrschaft bei den Unterthanen erregt habt. (So Krüger, Poppo, Böhme.) Vielleicht aber fasst man doch ὧν besser als Masculinum abhängig von ἐν τῇ ἀρχῇ und durch ein zu ergänzendes τούτων sowohl auf ἀρχῆς στερήσεως, wie auf κινδύνου bezüglich. Es handelt sich auch um den Verlust der Herrschaft über die und die Gefahr von Seiten derer, in deren Beherrschung ihr euch verhasst gemacht habt. In eo mihi cum Classenio convenit, per voculam ὧν non facinora, quibus Athenienses sociorum odium in se converterant, sed socios ipsos exprimi; in reliquis ab eo ita dissentio, ut ὧν pro τούτων οἷς scriptum esse statuam. Nam non est, cur in hac attractione offendamus, cum apud pronomen rel. ὧν verba ἐν τῇ ἀρχῇ locum teneant; quae cum genitivum postulent, attractionis usui opitulabantur; sic igitur vertas: Gefahr von Seiten derer, welchen ihr bei ihrer Beherrschung verhasst geworden seid.

Unum est exemplum, quod etiam in adverbia rel. attractionem Thucydidea aetate iam irrepsisse demonstret I, 89 διεκομίζοντο εὐθὺς ὅθεν ὑπεξέθεντο. Adverbium rel., quod ex verbo ὑπεξέθεντο pendens notionem commorandi exprimere debebat, veniendi notionem ab omisso adverbio ἐντεῦθεν recepit.

Quamvis diu Thucydides nos iam retinuerit, tantum tamen abest, ut ad huius quaestionis finem pervenerimus, ut dimidia demum itineris parte confecta in media re simus. Nam nunc de omissa attractione disputandum erit, quam rem ita instituemus, ut omissae attractionis leges afferamus et ad eas confirmandas singula exempla perlustremus. Quia vero attractionem per parvum illud temporis intervallum, quo Thucydidis historiae et orationes Lysiae inter se distant, incrementa

non cepisse postea videbimus ideoque easdem fere leges apud utrumque valere elucebit, locos Lysiacos, quibus attractio non adhibita est, Thucydideis adiungere mihi in animo est, ne de eadem re bis verba facere cogar. Spernunt hi, sicut omnes scriptores, attractionem in eis enuntiationibus rel., quae sine ullo sententiae detrimento omitti possunt. Facile rem exemplis cognoveris. Thucydides postquam, quae singulis annis gesta sunt, conscripsit, hanc formulam addere solet: καὶ . . . ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα. Nemo est, qui ignoret, quod bellum scriptor dicat et plane ad id bellum intelligendum supervacanea est enuntiatio rel., quam saepe adicit: ὃν Θουκυδίδης συνέγραψεν. Itaque non bello definiendo hoc additamentum inservit, sed ne inter posteros dubitatio de operis auctore existat, auctor illa verba apponit. Similiter iudicandum est de locis, quibus enuntiatum rel. ad nomen proprium pertinet Thuc. I., 28, 1; I., 129, 3; VI., 20, 3; Lys. XIX., 15. Verbi causa Thuc. I., 100, 3 ad oppidum Amphipolim intellegendum additamento ἃς εἶχον Ἠδωνοὶ non opus est: immo nomine proprio urbs satis definitur et verba illa potius ad urbis historiam pertinent.

Iam proferemus exemplum, quod forsitan mirabilius videatur. Duo proelia postquam Athenienses contra seiunctos Ambraciotas commiserunt eosque vicerunt, Ambraciotae, qui priores victi sunt, nihil de altera pugna suspicati praeconem in hostium castra mittunt petiturum, ut mortuos colligere sibi liceret. Quam rem Thucydides III. 113. 1 his verbis narrat: ἦλθε κῆρυξ . . . ἀναίρεσιν αἰτήσων τῶν νεκρῶν: quae nunc sequitur enuntiatio οὓς ἀπέκτειναν ὕστερον πρώτης μάχης non est praeconis, ut mortuos distingueret — nam ille duo proelia commissa esse nesciebat — sed scriptoris, qui haec eorum, qui legunt, causa adiecit. Sed Lysiae paene oblitus sum, apud quem VI. 45 legimus: δείσας ὑμῶν οὓς ἠδίκησεν. Vox ὑμῶν ad iudices referenda est neque ad intellectum suum enuntiationem rel. requirit; e contrario enuntiatum rel. magis ad participium δείσας pertinet, quia causam timoris affert. Verum longum est, de omnibus exemplis deinceps verba facere; attulisse ea sufficiat. Thucyd. III. 58. 4. III. 63. 2. IV. 61. 3. IV. 86. 6. IV. 102. 4. V. 34. 1. VI. 29. 3. VI, 64, 1. VI. 94. 1. VII 36. 1. Lys. IV. 9. XXXII. 16.

Altera omissae attractionis causa ut intellegatur, paulo altius repetendum est. Attractione adhibita fit, ut enunciati rel. verbum finitum pronomen manu mittat et potestati alius notionis enuntiati superioris deleget. Duplici igitur re attractionis usus continetur: primum eo, ut notio illa in pronomen talem vim exerceat, id est, ut tam arto vinculo cum illa coniuncta sit, ut pronomen impetum eius sustinere nequeat; deinde haec altera accedit conditio, ut verbum enuntiati rel. minus virium habeat, quam ut regnum legitimum in pronomen obtineat. Sin autem enuntiatio rel. eiusmodi est, ut dignitate sententiam primariam aequet et verbum eius finitum animis eorum, qui audiunt vel legunt, vehementisse infigendum sit, attractio spernitur. Huius usus haec habes exempla: Thucyd. I. 129. 3. II. 61. 2. Pericles, qui afflictos Atheniensium animos recreare studet, monet eos: ἐγκαρτερεῖν, ἃ ἔγνωτε. In quamvis parva enuntiatione attractionem praetermittit, quo gravius adhortetur, ut in iis, quae populo semel placuissent, nulla pericula, nullos labores pertimescentes perseverent. Eodem modo II, 73, 3 verba πρὸς τῶν ὅρκων, οὓς οἱ πατέρες ὤμοσαν attractione omissa efficacius ad sanctitatem iurisiurandi iam a maioribus dati spectant. Huc bene locum Lysiacum XIV. 40 revocabimus, quo accusator iudices admonet, ne quid antiquius habeant quam leges et iusiurandum, quod iuraverint, his verbis usus: τῶν νόμων τῶν κειμένων καὶ τῶν ὅρκων, οὓς ὠμόσατε. II. 85. 4 περὶ τῆς ναυμαχίας, ἣν ἐνίκησαν. Thucydides si pro ἐνίκησαν scripsisset ἐναυμάχησαν, sine dubio legeremus ἧς ἐναυμάχησαν. Sed actio νικᾶν tanti est momenti, ut vel in coniunctione περὶ τῆς νίκης ἣν νενικήκατε attractio spernitur apud Xenoph. Cyr. VII. 1. 10. In eundem orbem redigenda videntur haec exempla Thucyd. II, 92, 5. VII. 5. 1. VII. 63. 4. Lys. XII. 96. XII. 99, XXIII. 13. XXIV. 2.

Neglegitur attractio, si verbum enuntiati rel. modo optativo sine particula ἂν comprehensum est, cum huius proprium sit modi, ut actionem non per se vel ut ita dicam simplicem et absolutam significet, sed eam varie, plerumque ita afficiat, ut verbum iteratae actionis notionem prae se ferat. Haec vero optativi vis ab usu attractionis propterea aliena est, quod

enuntiatio rel. tali optativo comprehensa conditionem quandam continet neque apta est, quae notionem superioris ambitus explicet. Quare attractionem non habemus apud Thucyd. I. 50. 1. τῶν νεῶν, ἃς καταδύσειαν I, 99, 3. ἀπὸ τῆς δαπάνης, ἣν ἐκεῖνοι ξυμφέροιεν. Lysiae orationes nullum eiusmodi exemplum praebent.

Quartam omissae attractionis causam in eo positam esse intellego, quod enuntiationis rel. ambitus nimis productus et additamentis exaggeratus est, haud ignorans, Thucydidem et Lysiam maiore iam, quam qui antecedunt scriptores, licentia usos esse. Itaque non nisi eas enuntiationes rel. huc revocari velim, quas ampliores esse quam in quibus attractio admitti possit, nemo infitias eat. Quo haud raro accedit, quod pronomini rel. unum vel compluria nomina appositionis instar adiecta sunt. Hos quaeso inspicias locos: Thucyd. III. 90, 1. IV. 95. 3. IV. 98. 5. VII. 25. 5. VII. 25. 7. VII. 44. 1. Lys. XXXII, 24 fr. 118. Praesertim vero ad eas enuntiationes rel. animum advertas, quas auctor ita conformavit, ut illis enuntiatum conditionale subiungeret. In eis enim pronomen forma quidem relativum, re vera autem demonstrativum est neque ullum alium finem habet, nisi ut ambitum cum antecedentibus verbis copulet. Tales enuntiationes rel. prorsus ab attractione abhorrent. Itaque Taylor invitis Cod. Lys. XXIV. 6 pro πλὴν ταύτης ἧς ἂν ἀφέληςθέ με, κινδυνεύσαιμ' ἂν ὑπὸ τῇ δυςχερεστάτῃ γενέςθαι τύχῃ merito ἣν ἂν emendavit. Conferas Thucyd. IV. 131. 1 ἐπὶ λόφου καρτεροῦ πρὸ τῆς πόλεως ὃν εἰ μὴ ἕλοιεν. Antiph. VI. 28.

Porro attractio spernitur, si ea adhibita ratio grammatica, quae inter pronomen reliquasque enuntiati rel. notiones intercedit, obscuratur et perspicuitas ambitus damnum facit. Loco Thucyd. II. 6. 2 περὶ τῶν ἀνδρῶν οὓς ἔχουσι Θηβαίων vocem Θηβαίων a pronomine οὓς dependere et esse genitivum, quem dicimus partitivum, facile intellegas. Sin autem auctor ὧν scripsisset, in ambiguo essemus, num genitivus Θηβαίων appositio pronominis rel. esset et uterque genitivus pro accusativo positus assimilationi vocis ἀνδρῶν deberetur. I. 138. 1 ἐν τῷ χρόνῳ, ὃν ἐπέσχε omissa est attractio, ne notio temporis, quam

accusativus exprimit, periret. Thucyd. I. 100. 2 legimus: περὶ τῶν ἐν τῇ ἀντιπέρας Θρᾴκῃ ἐμπορίων καὶ τοῦ μετάλλου ἃ ἐνέμοντο. Pronomen rel. non ad unam, sed ad duas notiones sententiae superioris referendum est, quarum altera numero plurali, altera singulari continetur. Hoc teneamus simulque respiciamus, quem finem assimilatio pronominis rel. habeat; nimirum ut ea vox, ad quam enuntiatio rel. pertinet, et pronomen rel. forma inter se congruant. Quod cum nostro loco attractio efficere non posset, omissa est.

Restat, ut addam, Thucydidem et Lysiam attractionem repudiare in pronominibus rel. ὅσος, ὅσοςπερ, ὅστις et apud Lysiam XIII. 32 attractionem non omissam esse, cum Graeci etiam dicerent ἔξαρνος εἶναι, γίγνεσθαί τι cf. Isaeum III. 21.

Thucydideum attractionis usum si in unum comprehensum spectamus, 80 exempla enuntiatorum rel. attr. omnino reperiuntur, quorum in uno nominativus pronominis rel. antecedenti genitivo, bis dativus antecedenti genitivo, in omnibus aliis accusativus aut genitivo (62) aut dativo (14) per attractionem succubuit; unus accedit locus, quo ne adverbio quidem relativo attractio pepercerit.

Ambitum enuntiatorum in attributivo genere inde ab Herodoto non ita auctum videmus, magis in substantivo genere maximeque in eis, quae a praepositione pendent.

Pronomen rel. masculini aut feminini generis est locis 21, in reliquis neutrius; numerum singularem exhibent exempla 8, numerum pluralem copia novem partibus maior. Eadem fere ratio inter eos locos intercedit, quibus pronomen rel. obiectum immanens et quibus obiectum directum significat; praeter simplicem pronominis rel. formam ὅς quinque locis pronomen ὅσπερ reperimus cf. I. 143. 3. II. 67. 4 V. 37. 3. VIII. 86. 9. VIII. 92. 3.

Quod ad modum attinet, quem verbum enuntiati rel. exhibet, plerumque est indicativus; hic illic praedicatum e duobus verbis, infinitivo et indicativo verbi auxiliaris, constat: quinque locis I. 70, 7, III. 37, 2 (bis), IV. 36, 1, IV. 83, 5 verbum finitum modum coniunctivum cum ἄν, duobus locis VI. 36. 3, VII. 48. 3 optativum cum ἄν induit. Parti-

cipium verbo finito locis quattuor additum est ita, ut pronomen rel. aut ex ambobus aut ex solo participio pendeat. Denique tribus locis IV. 83. 5, VI. 40. 1, VII. 87. 5 attractio non solum in pronomine, verum etiam in nomine ad illud praedicative referendo cernitur.

Eum igitur in modum attractio inde ab Herodoto et Antiphonte usque ad Thucydidem obtinuit, ut non solum inter eos, qui iam antea consignati erant, fines usus eius multo esset frequentior, sed etiam in novis et adhuc nondum tentatis regionibus castra poneret. Forma enim ὅσπερ, adverbio relativo, nomine ad pronomen praedicative adiecto, potita est et in ea irrepsit enuntiata rel., quorum verbum aut modum optativum cum particula ἄν ostendit aut non accusativum, sed dativum poscit.

Caput IV.

Hoc de Thucydide tractatu ad finem perducto illorum auctorum, qui eiusdem vel paulo inferioris aetatis sunt, opera circumspiciemus. Quo enim plures scriptores in quaestione grammatica perquisiverimus, eo certius, quid singulorum studio et voluntati, quid sermonis ipsius consuetudini tribuendum sit, discernemus. Itaque ad Andocidem et Lysiam, Thucydidis fere aequales, iam transimus, quorum alter in orationibus, quae perpaucae sunt numero, non magnam huius quaestionis materiam nobis suppeditat — orationes enim illius tres non plus quattuor adhibitae totidemque omissae attractionis exempla continent —; alter vero, quamvis multae ex locupletissimo orationum numero invidia temporum interierint, satis exemplorum nobis praebet: Loci Andocidei sunt hi:

I. 43. ἀπογράφει δὲ τὰ ὀνόματα τῶν ἀνδρῶν ὧν ἔφη γνῶναι.

I. 47. τὰ ὀνόματα ὑμῖν ἀναγνώσομαι τῶν ἀνδρῶν ὧν ἀπέγραψεν.

I. 90. εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς, ἧς ἦρξεν.

III. 34 χρὴ . . . οἷς δ' ἂν ὀμόσωμεν καὶ συνθώμεθα τούτοις ἐμμένειν.

Exemplum in Alcibiadem orationis, quam non Andocidis esse inter omnes constat, praetermisi cf. IV. 17 ὧν ἐβιάσατο μετέμελεν αὐτῷ.

Tribus prioribus locis enuntiatum rel. attributi, postremo substantivi munere fungitur; in illis pronomen masculini aut feminini, in hoc neutri generis est. Enuntiata rel. ipsa praeter locum III. 34 admodum brevia sunt et notioni explicandae ips annectuntur. Vides igitur simplicissimi generis esse exempla et nisi locus III. 34 extaret, fore ut inter Herodoteum et Andocideum attractionis usum vix ullum discrimen cognosceretur. Illud vero exemplum III. 34 propterea insignius est, quodi verbum coniunctivo cum ἂν comprehenditur et enuntiatum rel. ei notioni, a qua pendet, antecedit.

Omissae attractionis causam in singulis exemplis Andocideis noli investigare. Nimirum loco II. 24 sicut apud ceteros scriptores superioris aetatis, pronomen ὅσος adhibendae attractioni impedimento fuit; altero loco I. 105 τοῖς ὅρκοις οὓς ὠμόσατε attractio neglecta excusari potest, si oratorem iurisiurandi sanctitatem monere voluisse contendis. Alia autem res est his locis I. 32 ὑπέρ τε τῶν ἱερῶν ἃ εἴδετε; I, 53 τῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐμήνυσε Διοκλείδης. Nulla omnino causa est, cur scriptorem merito attractionem repudiasse putemus. Mira haec res ut explicetur, in memoriam nobis revocemus oportet, oratorem illum per longum temporis spatium non Athenis ipsis, sed in Cypro insula vitam degisse et eam ob rem minus ἀττικῶς scripsisse et locutum esse. In nulla vero alia Graecae linguae dialecto attractionis usum frequentiorem et crebriorem esse quam apud Atticos recte iam a. R. Foerstero pag. 90 observatum est.

Ad Lysiaca attributivi generis exempla me verto:

XII. 82 τῶν ἀδικημάτων ὧν τὴν πόλιν ἠδικήκασι.

XVIII. 7 συνήδεσαν . . , αὐτοῖς . . . τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ᾽ ἀποστᾶσιν ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προςέταξεν.

XIX. 19 ἐξ αὐτῶν ὧν ἐκεῖνος ἔπραττε.

XXI. 5 τούτων ὧν κατέλεξα.

III. 21 οὐδὲν μέλει τῶν ὅρκων, ὧν διωμόσατο.

XIII. 25. . . . ὀνόματα εἰπεῖν Ἀθηναίων, ὧν ἂν ὑποβάλωσιν οἱ βουλόμενοι κακόν τι ἐν τῇ πόλει ἐργάζεσθαι.

XXII. 5. πλείω σῖτον . . . πεντήκοντα φορμῶν, ὧν ὁ νόμος ἐξεῖναι κελεύει.

VI. 38. οὐδὲν προςήκει Ἀνδοκίδῃ τῶν συνθηκῶν . . . οὔτε . . . τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους, ἃς ὑμεῖς συνέθεσθε οὔτε ὧν πρὸς τοὺς ἐντῷ ἄστει οἱ ἐκ Πειραιῶς.

III. 11. τῆς οἰκίας, ἧς οὗτος ἐμεμίσθωτο.

XIII. 74. τῆς φυγῆς ἧς αὐτοὶ ἔφυγον.

In exemplo VI. 38 cave mireris, quod in altera enuntiatione rel. attractio admissa, in altera omissa sit. Nam hoc ipsum ad gravissimam, quam de attractionis usu constituimus legem, optime quadrare videbimus, si totum ambitum paulo accuratius contemplati erimus. Genitivus τῶν συνθηκῶν per distributivas particulas οὔτε — οὔτε bipartitus est, cum duo Atheniensium pacta, quae cum Lacedaemoniis et inter ipsorum factiones sauxerunt, distinguantur, quorum alterum verba τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους significant, alterum enuntiatio rel. οὔτε ὧν πρὸς τοὺς ἐν τῷ ἄστει οἱ ἐκ Πειραιῶς. Quae ratio quo dilucidior appareat, orator, quamquam enuntiatio rel. a notione regente satis longe distat, tamen propter antecedentem genitivum τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους ab attractione non abhorruit. In altero vero enuntiato rel. ἃς ὑμεῖς συνέθεσθε, quod merum additamentum sensu integro praetermitti potuit, attractionem omisit.

Reliquum est, ut in primo et postremo exemplo attractionem in figuris ethymologicis ἀδίκημα ἀδικεῖν et φυγὴν φεύγειν locum habere moneam et quoniam iam antea Kuehneri sententiam attigi, qui haec enuntiata apud veteres scriptores attractione saepius carere contendit eiusmodi exempla, quae cognovimus, in unum collecta proponam. Herodotus attractione usus est in figura: παίδευσιν παιδεύεσθαι IV. 78; Thucydides I. 93. 3. et Andocides I. 90. in ἀρχὴν ἄρχειν; Lysias in ἀδίκημα ἀδικεῖν et φυγὴν φεύγειν XII. 82. XIII. 74; sed apud neminem illorum scriptorum, qui sane sunt veteres scriptores, invenitur locus quo tali in figura attractio omissa sit. Itaque sententiam Kuehnerianam valde claudicare probasse mihi videor.

Substantivi generis exempla haec sunt:

XII. 35. δίκην δώσουσιν, ὧν ἂν ἐξαμάρτωσιν.

XX. 9. οὔκουν δίκαιοί εἰσιν ὧν ὑμῖν εὖνοι ἦσαν, τούτων δίκην διδόναι, XXIII. 5. XII. 80. XXX. 16. XIX. 39. XX. 26. III. 48. XXIV. 10. XII. 70.

VI. 12. μηδὲν παθεῖν, ὧνπερ οἱ ἄλλοι Ἑρμαῖ.

II. 39. XIV. 2. VI. 11. καταπεφρόνηκε τῶν θεῶν καὶ ὧν ἐκείνοις δεῖ τιμωρεῖν; X. 12. XXVII. 11 fr. 36, III. 24, XXXII. 8.

III. 21. πειράσομαι καὶ περὶ ὧν οὗτος ἔψευσται διδάσκειν ὑμᾶς. XXVII. 8. XXXII. 27. fr. 19. VII. 18. IV. 6. fr. 19. X. 14. οὐκ ἐξ ὧν εὖ πεποίηκας τὴν πόλιν, ἀλλ᾽ ἐξ ὧν ἀδικῶν οὐ δέδωκας δίκην. XXIII, 13. XXV. 7.

XXXI. 4. ἀξιῶ . . . ἐξ ὧν ἂν ἐγὼ ὑπολίπω, πάλιν αὐτοὺς περὶ ὧν ἴσασι κατηγορῆσαι Φίλωνος. XXXI. 20.

XXXI. 24. IV. 20. IX. 12. διδόασιν εὐθύνας ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσι. XII. 89. XIX. 9. XXVIII. 7. XX. 30.

Loco VI. 11 enuntiatio rel. verbo δεῖ subiuncta formam accusativi c. infinitivo ostendit, pronomen vero rel. munere subiecti fungitur. Attamen ne hoc quidem pronomine, quod forma quidem accusativus, re vera autem nominativus est, attractio abstinuit. Exemplum, quale adhuc nullum reperimus, ita vertendum est: sprevit deos eosque, quos illis consulere necesse est. Loco VII. 18. attractio abundantiam quandam dictionis effecit. Propter additamenta enim, quae in enuntiatione rel. insunt, orator eius argumentum voce ἐκείνων repetit et quoniam enuntiatum rel. a praepositione περὶ regitur, hanc quoque repeti necesse erat. Ita inusitatior oritur structura, cum pro περὶ τούτων ἃ non περὶ ὧν sed περὶ ὧν — περὶ τούτων legamus. Conferas quaeso locum Thucyd. III. 64, 2.

Dativi formam accusativus pronominis rel. per assimilationem accepit:

XXVIII. 16. εἴσονται χάριν . . . τοῖς χρήμασιν οἷς ὑφήρηνται.

XXXI. 2. τοῖς ὅρκοις οἷς ὤμοσα ἐμμένειν.

X. 32. βοηθήσατετοῖς ὅρκοις, οἷς ὀμωμόκατε.

VIII. 3. βοηθῶν οἷς ἐξημάρτηκε.

XII. 27. ἀντειπόντα οἷς ἐκεῖνοι ἐβούλοντο πραχθῆναι.

XVII. 12. παραγεγενημένοι οἷς ἐκεῖνος ἔπραττε.

III. 4. οὐκ ἔνοχός εἰμι οἷς Σίμων διωμόρατο.

XXXI. 9. ἐν οἷς ἔπραττον εὐτυχοῦντας.

Nominativus pronominis rel. nusquam apud Lysiam per attractionem alius casus formam induit, quamvis multi extent loci, quibus scriptori hac attractione uti licuerit. Sed in eis quoque enuntiatis, quae propter circumcisum ambitum ad attractionem adhibendam apta erant, constructionem participialem praetulit; verbi causa XXX. 19 πλείω τῶν προςταχθέντων pro πλείω ὧν προςετάχθη et multis aliis locis simili modo; cf. XXV. 2. πολλοστὸν μέρος τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων pro ὧν ἐκείνοις πέπρακται. XXV. 5. XXVI. 18. Quae res satis mihi demonstrare videtur, hanc attractionem Genio, ut ita dicam, linguae Graecae non sicut cetera attractionis genera arrisisse.

VITA.

Carolus Henricus Bohlmann Hannoveranus natus sum ante diem XII. Calendas Martias a. 1857 patre Christhiano, matre Elisabetha e gente Lindemann, quam adhuc vivam gratissimo veneror animo. Fidem profiteor evangelicam cum pater meus, quem abhinc quinque annos mortuum valde lugeo, iussu regio identidem domicilium mutaret hisce in urbibus, Dortmundii, Neostadii, Glogoviae gymnasia frequentavi. Testimonio maturitatis instructus ante hos quinque annos in numerum almae matris Viadrinae studiosorum receptus sum et per decem semestria interfui scholis, quas viri ill. *Dilthey, Hertz, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weinhold, Weber* habebant; interfui etiam exercitationibus philologicis a viro ill. *G. Kaibel* institutis et magnos ex illis fructus me percepisse grato animo profiteor. Duo per semestria regii seminarii philologici extraordinarius, per unum ordinarius sodalis fui.

Restat, ut omnibus, quos dixi, praeceptoribus meis summas gratias agam praecipue viro ill. *M. Hertz,* qui mihi cum in studiis meis tum multis aliis in rebus fautor erat benignissimus.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Quintil. X. 5, 1 pro verbis: „nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum et secundo“ . . . . legendum videtur: „nam id factum est et iam“ . . .

II. Plaut. Mil. glor. v. 587 ed. Fl.: „occisam saepe sapere plus multo suem“, vocem multo in illo mutari volo.

III. Antiph. IV. 9 verba: „ἐπεί τοί γε καὶ δεινόν, ὦ ἄνδρες“ sic scribenda esse censeo; „ἐπεὶ τόδε καὶ δεινόν, ὦ ἄνδρες“.

IV. Tetralogias, quae sub Antiphontis nomine circumferuntur, vere Antiphonteas esse existimo.